

GUIDONI calamitosus intervenit casus! In eam regionem venit ASCANIUS ejus concivis, et natales ejus illegitimos vulgavit. Unde cœpit GUIDO viles cere, et exortæ sunt dissensiones graves inter eum et uxorem, ac hujus consanguineos.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quandonam infamatio dicatur publica seu notoria?*

2<sup>o</sup> *An liceat infamiam, publicam in uno loco, divulgare in alio loco ubi latet?*

3<sup>o</sup> *An ASCANIUS peccaverit contra justitiam, et ad aliquam compensationem teneatur?*

SOLUTIO :

431. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Tripliciter infamatio potest esse publica, scilicet : 1<sup>o</sup> jure, seu per sententiam judicis; 2<sup>o</sup> facto, quando res infamans coram tam multis habita est, ut nulla tergiversatione celari possit; 3<sup>o</sup> quando fama de crimine vel re infamante, ex sufficientibus indiciis orta, pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tam multos de communitate, ut, spectatis circumstantiis, certo divulganda sit, et ejus notitia brevi perventura est ad majorem partem communitatis, seu civitatis, pagi, parochiæ, monasterii. Porro crimen notum majori parti communitatis, pagi, parochiæ, etc., non censetur publicum absolute et respectu omnium, sed tantum respectu illius communitatis, etc... Juxta *Lugo, Layman et alios*, ad publicitatem criminis in communitate sufficit, si communitas 500 habeat incolas, ut 30 cives, vel 40 dispersi id intellexerint. Si pagus habeat 40 domos, satis est ut id sciant 10 vel 8 ex diversis domibus. Et sic de aliis locis, eadem servata proportione; sed quod multi complices criminis illud sciant, per hoc non est notorium. *S. Lig. n. 975.*

432. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> Si crimen fit publicum per sententiam judicis absolute et publice latam, licet illud manifestare in quibuscumque locis, verbo, scripto, typo, saltem citra peccatum contra justitiam. Ratio est, quia, hoc ipso quod judex ferat sententiam in reum, intendit eum spoliare jure suo ad famam, in criminis vindictam, et dare omnibus licentiam illud ubique promulgandi, ut cæteris ubique sit in exemplum et terrorem. *S. Lig. n. 974.*

2<sup>o</sup> Si vero sit publicum publicitate facti vel famæ, potest per se revelari sine injuria aliis nescientibus, tum in eodem loco, tum in loco vicino, ubi facile et brevi pervulgandum est. Ratio est, quia infamatus jam amisit jus ad famam in iis locis. An vero divulgari possit crimen in aliis locis ubi latet, nec moraliter publicandum est? *Controvertitur.* Sic videtur distinguendum cum *S. Lig. n. 974. Probabilius* potest vulgari crimen ingens valde probrosum, vel scandalosum, aut societati nocivum, ut homicidium, proditio, etc... Ratio est, quia expedit bono communi facinorosos homines non ignorari, ut ab eis caveant omnes. Secus vero, si agatur de aliis peccatis, quia reus adhuc servat jus ad famam, nec ratio boni publici invocari potest, et proinde iste injuste fama sua spoliaretur.

433. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* ASCANIUS certo peccavit graviter contra cari-

tatem et justitiam, infamiam GUIDONIS in Hispania ubi erat ignota propagando.

Dicunt quidem plures Theologi non esse grave manifestare defectus naturales aliorum, etiam vitium nativitatis, quia isti defectus non sunt morales. Hoc probabiliter in multis circumstantiis admitti potest. Sed saltem intelligendum est, modo non sequatur inde notabile detrimentum infamato. Porro in nostro casu maximum sequitur damnum misero GUIDONI, ut patet. Nec requirit bonum publicum ut ii defectus manifestentur, cum sint mere naturales, nec a voluntate hominis pendeant, nec proinde eorum manifestatio inservire queat ad homines a sceleribus deterrendos. Ergo GUIDO fuit injuste diffamatus. Ergo ASCANIUS injuriæ auctor tenetur ad damnum, in quantum fieri potest, reparandum. *Reuter. part. 3. n. 411.*

## CASUS IX.

### CONTUMELIA.

JULIA, rixans cum RUFINA, huic objicit quod sit illegitime nata. Id ferre non valens RUFINA, eam ad magistratum defert. Non desunt testes, veritatem injuriæ illatæ confirmantes, cum mulierum rixa in media platea locum habuerit; JULIA, de injuriosa appellatione convicta, damnatur a magistratu ad mulctam, necnon ad expensas itineris ad urbem a RUFINA factas, ei refundendas. Obtemperat quidem mandato judicis JULIA, cum aliter facere nequeat. Sed postea clam subducit RUFINÆ tantum quantum ei solvit, eo quod a pluribus audierit revera esse illegitimam, et proinde se injuste damnatam fuisse.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An JULIA graviter peccaverit dicendo RUFINÆ coram aliis bene multis, quod sit illegitima?*

2<sup>o</sup> *An potuerit se compensare licite?*

SOLUTIO :

434. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* *Affirmandum* videtur. *Per se* quidem, juxta multos, non est grave revelare defectus naturales alterius, nec excluso vitio nativitatis, nisi aliud damnum sequatur quia non sunt morales, nec proinde censentur infamare apud prudentes. Verum in nostro casu agitur de contumelia seu de convicio gravissimo, et cum contemptu ingesto, quod per se grave est. Nec videtur excusanda a peccato gravi JULIA, licet vitium nativitatis verum sit et notorium quia peccati gravitas ex ipsa contumelia, seu ex gravi læsione honoris in hoc casu repetenda est. Secus vero dicendum foret probabiliter, si JULIA vitium nativitatis, RUFINÆ incognitum, aliis manifestasset, secluso tamen alterius damni periculo. Esset autem gravis infamatio, si illud de persona valde honorata diceretur, nec res notoria foret; quia, etiam secluso alio damno quocumque, magnam famæ jacturam apud alios pateretur. Hæc igitur omnia pendent a circumstantiis, ut dicit *S. Lig. n. 967.*



435. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Neg.* Ratio est, quia justa magistratus sententia damnata est. Judex enim eam juste damnare potuit ad mulctam et ad expensas itineris alterius mulieris resarciendas, quia læsit caritatem, honorem et pacem, et expedit ut alii a similibus conviciis deterreantur. Ergo JULIA id quod RUFINÆ surripuit restituere debet. Si nolit in posterum simile damnum incurrere, linguam majori sedulitate custodiat.

## CASUS X.

## DE SECRETO.

AMANDUS juramento promittit MARINO, se nulli unquam manifestaturum esse neque homicidium, quod, se vidente nec viso, latenter MARINUS patrauerat, neque furtum, quod non viderat quidem, at sub fide secreti servandi ab eodem MARINO esse patratum audierat. Sed, cum exorta esset ea de re suspicio quædam, AMANDUS noster ad iudicium ut testis compellitur, et juridice interrogatus duplex revelat secretum.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quænam sit obligatio secreti servandi, sive promissi, sive commissi?*

2<sup>o</sup> *An AMANDUS potuerit duplex secretum iudici manifestare? An id debuerit?*

SOLUTIO :

436. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Secretum *promissum* obligat *per se* sub gravi, pro quantitate materiæ et suscepta obligatione; sed plerumque ex fidelitate tantum promittentem adstringit, quia simplicis promissionis obligatio sic communiter accipitur. *S. Lig. n. 970.*

2<sup>o</sup> Secretum *commissum*, seu communicatum, rigorosius urget, et sub gravi *per se* ex iustitia, quia præter obligationem naturalem adest etiam obligatio ex contractu suscepta. *S. Lig. — V. Comp. n. 469.*

3<sup>o</sup> Nullum secretum etiam juramento firmatum, sive mere naturale, sive ex contractu, excepto sigillo sacramentalis Confessionis, obligat quoties bonum publicum exigit ut manifestetur; quia jus naturale, vel obligatio suscepta servandi secreti, cum detrimento reipublicæ vel Religionis adstringere nequit.

437. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Quoad *secretum promissum*. Tenetur AMANDUS, sub gravi, ex obligatione iustitiæ et Religionis, ad secretum illud promissum generatim extra iudicium servandum; quia promissio juramento firmata induit naturam veri contractus, quum significet promittentem velle quam maxime se obligare: ergo non ex sola fidelitate, neque leviter in re gravi, Sed in casu, seu quum AMANDUS in iudicio, ut testis, a iudice ipso interrogetur, non tantum potest, sed debet veritatem totam manifestare, non obstante secreti promissione. Etenim quid promissio, quid juramentum operatur? Te obligant ad tacendum, quoties, seclusa promissione jurata, posses quidem, sed non deberes secretum aperire quia per promissionem ad hoc tantum te obligasti, quod licite præstare poteras:

atqui non poteras promittere contra obedientiam iudici seu Superiori debitam; quia, quando crimen novisti, jam contraxisti obligationem naturalem illud manifestandi, si iudex vel Superior id requireret. Ergo promissio subsequens secreti non potuit priorem obligationem destruere. Ergo in casu AMANDUS bene fecit. *S. Lig. n. 970. — Lugo. — Bon. — Salm., etc.*

438. — 2<sup>o</sup> Quoad *secretum commissum*. AMANDUS non potuit iudici interroganti manifestare furtum sub *secreto commissum* cognitum, sed debuit respondere: *Nihil hac de re scio*, id est, *ut manifestare debeam*, utendo scilicet restrictione mentali licita. Secretum enim ejusmodi de jure naturali urget in omni casu, seclusa boni publici necessitate; Superior autem seu iudex obligare nequit ad jus naturale violandum: ergo... Neque hic urget boni publici ratio, quia non ideo periclitabitur communitas, ex eo quod aliquod furtum patratum non manifestetur. Ergo AMANDUS est damnandus de peccato gravi contra iustitiam et Religionem, cum secretum commissum, et sub fide juramenti repromissum, palam in iudicio revelaverit. *S. Lig. n. 970. — V. Comp. n. 470.*

## CASUS XI.

## APERITIO LITTERARUM.

OLIVARIUS, lubrico amore Rosæ captus, cum ea pluries turpiter egit. Paulo post ei asseveravit ROSA se gravidam ex eo evasisse, et ei minatur se ejusdem crimen pro palaturam esse, nisi ducentos aureos sibi donet pro sumptibus subsecuturis. OLIVARIUS jamjam pecuniam postulatam Rosæ erogaturus erat, cum rescivit hanc puellam cum TITIO jamdudum familiariter conversari. Hoc audito, cœpit dubitare an ea ex illo conceperit. Quid autem faciet OLIVARIUS, ut veritatem assequatur? Cum suspicaretur adesse inter TITIUM et ROSAM commercium litterarum, data occasione, scrinolum puellæ clam aperit, epistolas inde exemptas legit; et ecce! reperit unam epistolam, vi cujus æmulus ille suspectus, TITIVS scilicet, fitebatur se esse patrem prolis, et esse insuper paratum ad eam alendam, et alias expensas necessarias ad ejus educationem subministrandas. Statuit illico OLIVARIUS publice epistolas manifestare ad prodendam injustitiam Rosæ ejusque mendacium; sed antea quærit a Theologo an id facere possit?

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An graviter peccet aperiens aut legens alterius literas?*

2<sup>o</sup> *An OLIVARIUS graviter peccaverit litteras ad ROSAM missas legendo, et an iis uti possit ad se defendendum?*

3<sup>o</sup> *An possit litteras præfatas aliis manifestare, et publicas efficere?*

SOLUTIO :

439. — *R. 1<sup>m</sup> ad Quæst. Affirm. per se.* Ratio est, quia jure naturali et jure gentium datur obligatio gravis secreta litterarum illæsa relinquendi



ad publicam securitatem, et communem fiduciam; secus enim commercium humanum pessumdaretur. *S. Lig. Tr. de Pecc. n. 70.*

Excipe: 1° si adsit consensus tacitus, aut præsumptus scribentis, vel ejus ad quem scribitur; 2° si justa causa fiat, v. g. ad damnum publicum vel privatum avertendum; 3° si merito præsumat res in litteris contentas esse levis momenti: tunc enim legens a peccato gravi excusatur. *S. Lig. Tr. de Pecc. n. 70. — V. Comp. n. 471.*

440. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* OLIVARIUS non peccavit neque graviter, neque leviter litteras Rosæ aperiendo et legendo. Ratio est, quia id ex justa et gravissima quidem ratione fecit, nempe ad damnum grave a se avertendum. Etenim communiter docent Theologi fas esse alterius litteras legere, vel secretum revelare, quando necessitas id postulat, vel ad proximum aut seipsum juste defendendum.

441. — *Objicies*: Ille qui notitiam alieni criminis acquisivit injuste, v. g. aperiendo litteras secretas illius, non potest uti illa notitia; sed se gerere debet perinde ac si illam nunquam comparavisset, quia notitia quam quis injuste acquirit non est moraliter sua.

*R. Neg. suppositum*, scilicet notitiam illam fuisse ab OLIVARIO injuste acquisitam. Etenim id fecit ex gravissima ratione, seu ut injustam vexationem a se averteret; ergo non egit injuste. Imo aliquando fas est uti notitia injuste accepta, si postea adsit causa justa ea utendi, quia tunc res habetur perinde ac si notitia juste acquisita fuisset, ut supra dictum est in casu 7, n. 430.

442. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* OLIVARIUS non potest statim litteras clam acceptas manifestare. Sed debet prius ROSAM admonere, ut sileat, nec amplius quidpiam repetat pro alenda et educanda prole, quia ipse habet medium probandi falsam esse accusationem. Ratio est, quia non licet crimen alterius propalare coram aliis, ubi non est necessarium. Porro in nostro casu non urget ulla necessitas, siquidem ope correctionis fraternæ, seu privatæ admonitionis, malum quod timetur impediri potest. Ergo... Quod si, tali combinatione, ROSA nihilominus præsumat OLIVARIUM accusare, poterit præfatam epistolam ostendere in quantum erit necessarium ad se indemnem faciendum, quia fas est crimen verum detrahentis manifestare, ad auctoritatem illius elidendam, quoties injusta accusatio vel detractio aliter impediri nequit. *Elbel, n. 399. — Lugo, etc.*

## CASUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE

SEU

*De confessione annua. — De Communione paschali. — De abstinencia a carnibus, et de jejunio.*

### CASUS I.

ANNUA CONFESSIO 1°.

OCTAVIUS confessus est Dominica Palmarum, die 4 Aprilis, nec ad confitendum rediit nisi Dominica in albis anni sequentis, die 24 Aprilis. — Alias confessus est die præcedente tempus Paschale, aut paucis ante diebus, nec ante diem solemnem Paschæ anni sequentis peccata in Sacramento Pœnitentiæ deposuit. In utroque casu de peccato mortali a Confessario arguitur.

HINC:

QUÆR. 1° *Quomodo computandus sit annus relative ad obligationem annuæ confessionis?*

2° *An OCTAVIUS peccaverit contra præceptum Ecclesiæ, tum in primo, tum in secundo casu?*

SOLUTIO:

443. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Per se loquendo, annus computandus esset ab initio mensis Januarii, ad finem Decembris; sed, spectata universali consuetudine, computatur ab initio ad finem temporis Paschalis, quo Communio peragenda est. *S. Lig. l. 6, n. 662.* Igitur cum Pascha non incidat in idem tempus, sed modo maturius, modo tardius occurrat, sequitur posse aliquem quandoque legi Ecclesiæ satisfacere, licet tempus anni completi excedat. Attamen non datur stricta obligatio confitendi tempore Paschali, quia Ecclesia tempus illud non determinat ad Confessionem, sed ad Communionem. Quare, si quis uno vel altero mense confessus fuisset ante tempus Paschale, nec peccati mortalis conscius esset, ad confessionem Communioni præmittendam non teneretur. Consuetudo autem tunc confitendi, et decreta Episcoporum, vel Synodorum id exigentium necessitatem supponunt, seu intendunt tantum præcipere debitam dispositionem ad Eucharistiam suscipiendam, vel non urgent præcise nisi eos qui toto anno non sunt confessi. *Gousset, de Pœnit. n. 410, contra Collet.*

444. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* OCTAVIUS satisfecit obligationi suæ in utroque casu, quia revera confessus est intra annum, juxta consuetudinem receptam in anno computando ratione præcepti confessionis. Nec obstat quod non fuerit confessus nisi a 13 circiter mensibus, quia annus physice non est tunc computandus, sed moraliter, ut ex dictis apertum est. Ergo non damnandus est OCTAVIUS, sed potius Confessarius.